

**Quaestio pathologica : pro primâ Apollinari laureâ consequendâ. Sub hac verborum serie. An mania a sanguinis rarescentia / Praeside D. D. Antonio Magnol ... ; Quam deo favente & auspice deiparâ, propugnabit in augustissimo Monspeliensis Apollinis Fano, Die mensis Februarii anni 1713. ab horâ octavâ ad meridianam, Antonius Josephus Emery.**

## **Contributors**

Magnol, Antoine, 1676-1759.  
Emery, Antoine Joseph, active 1713.  
Ecole de médecine de Montpellier.

## **Publication/Creation**

Monspelii : Apud Honoratum Pech, Regis, Universitatis, Cleri & Urbis typographum, 1713.

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fgqqt6zc>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

# QUÆSTIO PATHOLOGICA

Pro primâ Apollinari laureâ consequendâ

SUB HAC VERBORUM SERIE

AN MANIA A SANGUINIS RARESCENTIA

PRÆSIDENTE

D.D. ANTONIO MAGNOL

Professore Regio dignissimo.

Quam Deo favente & auspice Deiparâ , propugnabit in  
Augustissimo Monspeliensis Apollinis fano, Die mensis  
Februarii anno 1713. ab horâ octavâ ad meridianam ,  
**ANTONIUS JOSEPHUS EMERY** Bellocarensis ,  
Artium Liberalium Magister , & jam dudum Medicinæ  
Studioſus.



MONSPELII;

Apud HONORATUM PECH, Regis, Universitatis, Cleri  
& Urbis Typographum 1713.

PATRI SUO COLENDISSIMO  
D. D. ANTONIO EMERY  
DOCTORI MEDICO  
In æternum amoris, gratitudinis, & obsequii  
monumentum,

D. D. C.  
ANTONIUS JOSEPHUS EMERY Bellocarensis.



# QUÆSTIO PATHOLOGICA AN MANIA A SANGUINIS RARESCENTIA:

**M**ANIA M affectum miserrimum definire consueverunt medici delirium circa plura sine febre ; quibus verbis per quid aliis conveniat , & per quid ab aliis differat designatur. Nam per delirium cum phrenitide simul & melancholiâ convenit , per delirium circa plura discrepat à melancholiâ , & per febris absentiam à phrenitide dicitur esse diversa.

Sed priusquam causam hujuscce affectus conemur eruere , non nobis videatur alienum , si delirij , & febris quorum hujus absentia , illius verò præsentia , ut signa maniæ pathognomonica allegantur , naturam indagabimus : utpotè quòd si nobis innotuerint , facilius ad illius quod consecutamur , affectionem sternatur iter. Ergò delirium dicemus hunc errorem in judicio in quem inter vigilandum circa objectum nulli non notum delirans incidit ; & febris nomine nihil aliud intelligemus quàm eam præternatutalem corporis nostri dispositionem quæ vitiosam & constantem pulsus frequentiam secum scimper adjunctam habet.

Quibus sic præmissis ad ipsius maniæ causam inquirendam Jam nos accingamus , & quoniam ea debet esse quæ duobus supra memoratis signis pathognomonicis satisfaciat , nihil reliquin faciemus diligentia , ut si minus scopum attingamus , desidiæ saltem non possimus insimulati , ut igitur promissis stemus , res paulò altius videtur esse repetenda , ut eam vel in ipso fonte , in quo nihil non hauritur melius , rem ipsam hauriamus.

Sanguis in statu naturali numquam fermentescere debet , nec potest. Non potest: quia salia ratione quorum fermentatio fervet , non amplius heterogenea in perfectè salsa abierunt , quando chylus migavit in sanguinem , quin imò ideo chylus naturalis conversus est in naturalem sanguinem , quia propter luctam quam iniere cum alkalibus acida in salsa degenerarunt :

4

sed insuper fermentare non debet, quia ut dicetur inferius omnis fermentatio  
in sanguine à statu naturali recessum indicat, & sit ipsa morborum causa.

Verum plures sunt in ipsa fermentatione gradus qui à se se invi-  
cem diversi diversos morbos inferunt, de quibus omnibus sermonem fa-  
cere quia videtur ab instituto nostro alienum ijs supersedendum judicamus  
de ijs tantum acturi quorum notitia quod querimus explanabit.

Tres mihi videntur distinguendi gradus remissus unus, mediocris alius,  
& validus alter, de primo, & de postremo silebitus quod eos semper  
febris comitetur, cuius absentia maniam pathognomonicè demonstrat.  
Ergo de mediocri instituendus sermo, cum ille solus febrili motu non  
agitetur, namque si sanguis sulphureus fuerit, qualis esse solet sanguis me-  
lancholicorum adeò ut acidis aëreis particulis præcludatur liber aditus, tūm  
ipsius lateri infigentur acida spicula quæ in interiore substantiam adigen-  
tur aëre superincubente, & desuper mirum in modum elatere suo gravi-  
tante. Interim hæc acida spicula subsequitur aëris, qui si vel calore, vel  
motu rarefacat, expandetur, & expantione suâ spatiū quantum? heu sex-  
centies capacius occupabit; sed capacius occupare non potest spatiū quin  
distendantur vasa quibus ipse sanguis continetur: hinc igitur arteriarum am-  
pliatio ibi tantum ubi rarefactus aëris seu sua filamenta elaterio sno simili  
explicuerit. Si hoc in toto corpore possit evenire, eveniet certè in ce-  
rebto, & distentis carotidibus quid subsequetur? si queras, attende.

Quia aëris in sulphureis staminibus implicatus non se potest extendere  
propterè quod à superincubente comprimitur, si pondus illud auferatur,  
aëris inferior fiet sui juris, stamina sublevabit, cellulisque ex minimis jam  
amplioribus factis, jam capacioribus factis, eò majorem obtinebunt arte-  
riæ cavitatem, quod cellularum major evaserit diametros.

Et inde delirium deducitur, nam si interim carotis dextera tumescat ex  
eo quod crux hac in parte circulans & rarescens hanc ipsam carotideum so-  
litò magis inflaverit, planum est ipsam cerebri substantiam eò majus spa-  
tiū occupatum iri, quod magis carotis intumuerit. At hæc ipsa cerebri  
substantia majus hoc spatiū occupatura debet vel sursum elevari, vel deor-  
sum crescere, vel tandem ad latera extra consuetos limites protrudi, non  
potest autem nec sursum extolli, nec extendi ad latera, obstat enim ossea  
cassis, impedimentum potentiae tali prorsus incluctabile: Cogitur ergo  
quod minor, vel nulla fermè opponitur resistentia, confessim, & impetè  
vergere, deorsum descendere, ibi debitum augmentum suscipere, & cùm parte  
eò tantum tumefieri, quod jam ipsa carotis intumuit.

Verum quia non potest deorsum versus augeri hæc adem substantia,  
quin ex templo commune sensorium angustetur, sequitur quod spiritus  
in angustiori loco cum contineri nequeant, eò cùm teneantur velocitatè  
propelli, quod motus quantitate, & ipsius determinatione propulsantur;  
propelluntur autem directè ad oppositum, huc ergo tendere tenentur.

Quod si se citò sanguis expanderit in carotide, citò etiam tunuerit  
oporet cerebri substantia, & uno quasi jactu spiritus expulerit ex emporio  
qui cum vivido motu pellantur in oppositum, vivide debent in fibras e-

regione fitas irruere , eas succutere , eas vibrare . Quis ignorat ex vibratione fibrarum animam excitari , et quasi sopitam expergesciri ? Nemo sanè : ex-fuscitatur & succutiue fibrarum duo necit , duo jungit , judicat . Sed cùm nullus sit obex , quominus spiritus animā Jubente ad eos deferantur musculos qui vocis loquæ inseruiunt in eos ita diriguntur ut actum animæ velocius enuntient . Haec tenus desitum nullum : nulla in judicio discordia , discrepantia nulla , unus tantum error subesse potest , si nempe perceptionis vitio id affirmet quod nullo modo debet affirmari .

Ast si dum anima pro suo quo pollet in corpus imperio , ut prædictum judicium exprimat , tota versatur ; carolis sinistra eandem patiatur rarescentiam , ad fibras oppositas spiritus urgere debet , quarum vibratione idæ aliæ suscitantur , & efformatur aliud judicium , si judicium illud suis signis manifestetur , cùm jam primum non omnino fuerit expressum , unumquæ dimitaxat subiectum cum copulâ prolatum fuerit , sequitur quod si subiectum istius annexatur pium , tanquam attributum primi videbitur .

Et quia sunt hæc judicia in materia nulli non notâ , totòq . Cœlo discrepant inter se attributum secundi , & subiectum primi , quorum illud de isto nequaquam prædicari potest , exurget tertium quod judicium monstrum informe horrendum ingens cui lumen ademptum , quod delirii nomine circumfertur ab omnibus . Et verò si aër in ipso sanguine alibi in bullas abeat , si in aliquo alio loco turgescat arteria , turgebit & quoquæ cerebri substantia , quâ semel elevatâ ex emporio spiritus adigantur oportet . Novam successionem idæ novæ , novum judicium consequuntur . Demum hac in re si quid semel novum , nova sunt tunc temporis omnia præter modum quo nobis nova videntur , modò unius judicii verbum unum exprimitur , modò exprimitur unum verbum alterius : quæ verba si semel invicem uniantur , risum propter suam discrepantiam excitabunt .

Quod de uno aut altero judicio haec tenus dictum fuit , hoc idem de pluribus dictum esto . Non eterim de pluribus quâm de uno , aut altero difficultas intricior , potest sanguis pluribus in locis validè rarefieri , validè consequenter pluribus è locis in loca plura spiritus excurrent , & modo superius dicto ideas excitantes , judicia quoquæ , sic verbo venia , seriatim excitabunt , ex quibus error si multiplicetur , multiplicabitur & delirium .

Licet sanguis suâ fermentatione rarefacat , non tamen inde collendum quod febrili motu debeat agitari : nam cùm omnis febris vitiōsam atquæ constantem pulsū frequentiam essentialiter importet , nemini mirum videri debet , si nullam sibi maniæ conjunctam habeat cùm nulla omnino pulsū frequentia designetur . In illâ sanguis nec solitò celerius , nec solitò tardius totum corpus irritat , pulsus maniaci , & pulsus hominis sanitatis quoad frequentiam minimè differunt , & si ad hunc tantum medicus attenderet , ægrotum haberet ut sanissimum , quid igitur , dicer aliquis , sanguinis fermentatio febrem essentialiter arguit ? in maniâ , ut patet ex dictis , sanguis fermentatur , ergò maniam febris ex naturâ suâ comitatur vel anteit .

Si superius annotata perpendantur , soluitur argumentum , & responsum facilè : omnis febris fermentationem ex se semper importat ; sed non

Omnis ideo fermentatio febris est, requiritur adhuc ut hanc fermentacionem sequatur pulsus frequentia vitiola nec non & constans: quæ si absit, abest & febris. Hinc videre est supradicti majorem argumenti propositionem esse falsam, ut pote quod etiam si quæ dicat necessaria sint, sint & adhuc alia necessaria, quæ non dicat.

Unus tantum, ut opinor, hac in re restat scrupulus amovendus, qui nimis sanguis fermentescere possit, nec tamen vitiola & constanti pulsus frequentia laborare; sed non est quod morem diutius. Non hic nodus gordianus est, cuius solutionis causâ eludatur oporeat oraculum quod non posset adimpleri.

Sanguis rarescens majus, uti jam annuimus, spatium occupat, capaciorem jam extendit diametrum arteriarum, quæ aërem sese multum expandentem intra sulphura protensa coercent. In omnem sensum liquidoruim instar agitat sanguis ipse liquidus; nec ulla videtur laudanda ratio, cur huic adscribatur illa pulsus frequentia, quæ meâ quidem sententia prorsus aliam causam agnoscit.

Namquè ut fatear id quod res est, vel verius quod mihi res esse videtur, sola spirituum penuria hanc illam pulsus frequentiam inducit. Quod sic, ni fallor, evinci potest. Micant frequenter, vel infrequenter arteriae, quia cor frequenter, vel infrequenter contrahitur, frequenter autem contrahitur cor, quia ipsius thalami non sunt capaciores, quæ minor capacitas minorem etiam spirituum copiam attestatur, quibus valide cor possit contrahi, quis neget etenim res aliter habatum iri, si copiosiores spiritus intra spirales cordis fibras protrusi fortiter cordis ipsius conum sursum attollerent, antequam tota vincatur resistentia, longius desideratur intervallum: nec enim tam citò tam generosi milites debellantur; ast si paucitatem tanto sucedant impares oneri, brevi conclamatum est, à fortiori stat victoria & spiritus citò devincuntur, spirales etenim fibras dorsum altrahit cordis ipsius pondus, & sanguis desuper per auriculas irruens, conum ipsum cogit inferius ejusdem thalamos mox completurus.

Sed unde tam pauci spiritus? tantæ penuriæ quæ causa? quæ ratio? fermentatio valida cui febris natales debet, partes sanguinis huc & illuc turbinatim & vorticose secum abripit, abruptæ velociter partes recrumentitiae colis offeruntur, & quia non est secernendi spatium, auferuntur e colis, & intra massam iterum atque iterum simul invicem confusæ per totum corpus devoluntur, pauci interim, iterum dico, pauci philtrantur spiritus, & secreti tantum corporis sunt robur & vires, num debet igitur hoc languescere, si illi deficiant.

Et ne dicas hoc à me gratis afferri: ad modum attende quo febris ador attemperatur, mediana tunditur, saphena secatur, aperitur jugularis, nec semel tantum, sed semel bis & iterum, prout febris exigit & ægri res. Quid indè? quid? extracta foras larga sanguinis copia subsident venæ parietes, in quos cùm sèpè sèpius collidat sanguis subsequens, de suo tantum deperdit motu, quantum collapsis venæ tunicis communicat, communicat autem multum, multum igitur deperdit.

Si verò motus sanguinis aliquatenus deperdatur & lentiùs àbeat , consequens est ut partes sanguinis quæ eodem motu feruntur , lentiùs quoquè devoluantur , & hinc illa major recrementorum secretio repetenda ; hinc uberior spirituum copia : hinc copiosiores è cerebello in spirales , annulares , & cæteras cordis fibras , uno verbo in ipsum cordis musculum illo- rum influxus .

Quid mirum posthac ; si majorem vim exerentes , majorem etiam contractionem efficiant , quod in maniâ luculenter demonstratur , præ sua copia spiritus exundant in emporio , confessim in omne corpus nervorum canaliculis distribuuntur : cor ipsum quām maximè turget , & pro suâ turgescentiâ validos cum nîsus edat , validè quoquè contrahitur ,

Omnes res non naturales possunt hunc affectum invchere , si ad illum ex temperamento sit quædam dispositio ; nâm aér calidior , quia crassitatem hanc sanguinis conciliat , huic etiam morbo symbolum suum confert . Si aér : hoc & potus liquorum ardantium , hoc motus nimius , vigiliæ pertinaciores idem præstabunt ; quod & somnus , & quies , & animi pathemata , licet modo diverso , tamen efficient .

Ob faciliorem & validiorem fibrarum emporij succusionem , furore quan- doquè maniaci rapiuntur , & in obvios quosquè irruunt : quod ex solâ sanguinis rarefactione deducere non operosum audacia , pulsus magnus & validus huic etiam rarefactioni suos natales debet , & ob prædictam causam frigus patiuntur , vigilant incolumes , oculorum splendore laborant , & aurium tinnitus , & modo digitis vel pede quasi ad numerum gesticulantur , modo verò quasi commoti fortiter sibimetipsis aures obstruunt & territi vitant vel hominum aspectus .

Tot & tanta miratis in uno maniaco symptomata , pluribus tamen quasi totidem satellitibus comitatur , aliquando spasmo riget , motibus convulsivis agitatur , & famem quām diutissimè protrahit , obscenè se gerit & loquitur , quot non adderentur si omnia non pigeret recensere ! sed quia omnia hæc à sanguinis rarefactione tanquam à fonte scaturiunt .

### *ERGO mania à sanguinis rarescientia.*

### *D I S P U T A T U R I .*

#### *PROFESSORES REGII.*

R. D. Franciscus Chicoyneau <i>Can-</i>	ꝝ	R. D. Joannes Chastelain <i>Decanus</i>
<i>cellarius &amp; Judex.</i>	ꝝ	R. D. Petrus Chirac.
R. D. Joannes Bezac.	ꝝ	R. D. Petrus Rideux,
R. D. Antonius Deidier.	ꝝ	

#### *Doctores Aggregati.*

R. D. Heuricus Haguenot.	ꝝ	R. D. Joannes Henricus Haguenot
	ꝝ	<i>Patris Coadjutor.</i>

#### *Doctores Ordinarii.*

M. Eustachius Marcot.	ꝝ	M. Antonius Fizes.
M. Bartholomæus Pascal.	ꝝ	

